

mollitie quadam agunt: ita, imbecillitatis suae consciae, molles tantum ab exterioribus obiectis per sensus aduenientes impulsus amant iisque delectantur. His vero contrarios cane peius & angue fugiunt, cum se eorum vehementiam sustinere posse patum confidant. Vnde quoque omnia quae ad illos relationem conuenientiae habent, adpetunt, & iisdem contraria auersantur. Ex hoc *Voluptas* Sanguineorum fluit, quodque adeo impense concupiscant vsum rerum, fugiantque votum castitatis & ieiunia.

§. XI.

*Quartus* & infimus *Conatum gradus* in homine est, cum iis, quae in perceptionibus ipsam adficiunt, nec resistit firmiter, nec cum penetratione illa subigit aut vincit, nec cum agilitate amoliri aut auertere conatur: sed mouetur & inclinatur, prout impulsus perceptionum rapiunt. Eo vsque tantum sequitur, quo impulsu perceptionum vrgetur, quo cessante etiam impetus ille mentis cessat, quoniam haec per se parum actiuitatis purae habet. Talis actiuitatis gradus adsignatur commodissime *Phlegmaticis*. Quorum quia mens non cum firmitate perceptiones excipit & recipit, adeoque nec hinc oriundas modificationes retinere potest: 1.) *memoria* non pollent. Atque in iisdem a defectu actiuitatis penetrantis *iudicii stupor*, a defectu agilitatis *ingenii languor* proficiscitur. 2.) Perceptionum & imprimis sensationum vehementia, vnde oritur iucunditas & iniucunditas, in mente facile inclinatur ad agendum extra se: sed, ob defectum actiuitatis & agilitatis verae, has inclinationes non prosequuntur. Cessat enim impetus & aestus affectuum, quo ad agendum feruntur, quamprimum impulsus perceptionum primus finitur. Hinc deduci potest maxima huiusmodi hominum *Somnolentia* & *negligentia*, *indifferentia* & *indolentia*. Molliusculis quidem sensationum titillationibus delectantur: sed eas tamen non magnopere adpetere & persequi, nec iniucundas fugere valent, quo nomine tribuitur illis *ἀνασθησία*.

§. XII.

Infiniti qui adhuc sunt gradus intermedii, ex his quatuor quasi